



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 67. Hujus Hæretici opera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, vel juxta Sandium sexto executioni mandatur: cum vero ad supplicii locum traheretur, incredibili cum impietate jactitare audiebatur, quod Apostoli, sanctique Martyres duntaxat pro gloria Christi, qui non nisi filius adoptivus Patris æterni erat, mortem subierint, ipse vero primus esset, qui pro honore Patris sanguinem suum profunderet.

Sæcul XVI.

A.C. 1565

§. LXVII.

Hujus Hæretici opera.

Pauca scripsit Gentilis, exstat tamen. *Sandius*

I. Ejus confessio Genevensibus An-p. 26. & 27. no millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo tradita, necnon alia eodem anno ab eodem directa, quarum utraque in actis Valentini Gentilis Anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo septimo in forma minori impressis habetur. II. Ejusdem confessio circa SS. Trinitatem, cui addita est præfatio sub nomine Theophili Typographi Ecclesiæ Filiis inscripta, porro hic liber prodiit Lugduni, quamvis titulus Antverpiam præferebat. III. Illius Antidota nondum typis impressa. IV. Liber proprio Gentilis chirographo exarratus, ac Sigismundo Auguito Poloniæ Regi nuncupatus unacum proluxa admodum præfatione ad

li 5

eun-

Sæcul. XVI.

A. C. 1564

eundem: in quo opere tota hujus hæretici doctrina continetur, fatetur tamen, quod Blandratus illam magis sigillatim exposuerit: insuper post Præfationem recenset suas fidei confessiones Genevensibus porrectas: cum autem hi postremam hanc confessionem confutassent, Gentilis horum elucubrationi antidotorum libellum opposuit, quem Lugduni conscribebat, atque in eo caput tertium primi libri de institutionibus Calvinii refellebat, jactabunde gloriatus, quod omnium Christianorum opiniones circa Trinitatem penitus everterit. Huic libello addidit propositiones ex quindecim sancti Augustini libris de Trinitate desumptas, ubi contra eundem sanctum Doctorem in milena convitia effunditur. Ibidem quoque reperiuntur ejusdem collectiones in sacras literas, Patres, & Alcoranum, ex quibus suam sententiam stabilire nititur: ad calcem vero hujus libri apposuit adnotationes suas in sanctum Athanasium; insuper scripsit Gentilis carmina contra Trinitatem, præter libellum quemdam Italo sermone conscriptum, qui haud absimilis est alteri cuidam opusculo latino de Incarnatione Christi Domini confecto.

§. LXVIII.